(2) 10

Bertrandus miseratione divina tt. sancti Marci pbr. Cardinalis apostolice sedis Legatus. Dilecto in xpo Potestati terre Aquependentis Salutem in dno. Cum sicut ex parte dilectorum in xpo Communis et universitatis hominum dicte terre Aquependentis est expositum coram nobis sunt nonnulli quos clare patet eidem Communi teneri in certis pecuniarum quantitatibus et cum debent compelli ad solutionem ipsarum pecuniarum quantitatum statim in vocem appellans prorumpunt volentes per huiusmodi eorum appellationes frivolas evadere solutionem pecuniarum quantitatum predictarum. Quare supplicarunt nobis humiliter ut eis super hec providere de oportuno remedio misericorditer dignaremur. Nos igitur cupientes quod unicuique iusticia ministretur volentes ne dicti appellantes de predictis eorum subterfugiis glorientur districtioni tue auctoritate qua fungimur presentium tenore precipimus et mandamus quatenus omnes et singulos quos clare patet ipsi communi debere aliquas pecuniarum quantitates ipsos non obstantibus quibuscumque eorum appellationibus frivolis compellas ad solutionem integram predicto Communi faciendam de huiusmodi pecuniarum quantitatibus realiter et personaliter ac viis et modis aliis quibus videris expedire. Dat. apud Montemflasconem Balneoregien. dioc. iii Non. Septembr. Pontificatus dni Clementis pp. VI Anno septimo.

Jacobus

Contra appellantes a debitis
solvendis contra

[illegible] appellantes
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Innoc. X